Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 599

Quelle:
Copyright:

III. *fol.* 33. p. 2. *Incipiunt hebraice queſtiones de libris malachim id eſt regum queſtiones hebraice de libris ſamuel.* Ita: *Fuit vir unus de ramathaim ſophim* &c. Neque hae ſunt *Hieronymi*, ſed teſte *Rab. Mauro* Hebraei cujusdam modernis temporibus in Legis ſcientia florentis, ut iterum Admonitio *append. cit. col.* 753. docet. Finiunt editae: *domum domini in Jeruſalem fabricaret;* ſed in Codice paullo aliter procedunt, et finiunt in L. III. c. 2. v. 28.

IV. *fol.* 54. p. 2. *Incipiunt hebraice queſtiones prioris partis libri dabre iamin in quibus ſi vis tenere ordinem hyſtorie alfabeto e regione affixo naturaliter innitere.* Sed omiſit *Alphabetum* iſtud Librarius. Ceterum eodem modo inſcriptas habuit *Vallarſius*, ut videre eſt *append. cit. col.* 789. Ineunt utrobique: *Heber nati ſunt duo filii*, et finiunt: *ut ruinas templi reſtauraret.* Ejusdem cum praecedentibus Autoris.

V. *fol.* 71. p. 2. *Incipiunt* (Quaeſtiones) *in abacuc prophetam.* In prima II. Capita: *Vbicumque onus verbi domini ponitur, grauedo in prophetia illa ſignatur. Queritur propheta ad dominum* (v. 4.) *cur impij prevalent aduerſus iuſtos* &c. Jure referri poſſe ad *Hebraeum* illum *Rabani Mauri* mihi videntur cum e ſtilo, tum, quod nulla in eis novae Legis mentio. Itaque incognitae omnibus *Hieronymi* Editoribus, atque ἀνεκδοτοι. Definunt: *ſileat a facie omnis terra cum venerit ad iudicandum.*

VI. *fol.* 73. *De ieiunijs diſputacio ex Zacharia VIII. cap.* Exponitur videlicet e v. 19. quando et quare inſtitutum ſit *Jejunium quarti, quinti, ſeptimi* et *decimi menſis.* Ignota pariter omnibus, et veriſimiliter ad eundem *Hebraeum* referenda, de quo optandum, ut *Rabanus* nomen, et a quo latine redditus fuerit, edidiſſet. Incipit: *Hec dicit dominus exercituum. Ieiunium quarti* &c. *Ieiunium quarti dicitur, quod eſt ieiunium in quarto menſe ſeptima decima ſcilicet eiusdem menſis die* &c. Et finit: *ducti in captiuitatem ezechiel propheta et mardocheus.*

VII. *fol.* 73. p. 2. *Chronica ſuccincte ſcripta de regno hebreorum.* Una e multis a Chriſtiano compilata, cujus initium: *Quadrageſimo tercio anno nini regis aſſyriorum abraham patriarcha natus* &c. Et finis: *tranſtulit decem tribus iſrael in aſſyrios et ciuitates medorum.* Sed prius Principes *Juda* ad *Veſpaſianum* et *Titum* deduxerat.

VIII. *fol.* 74. p. 2. *In nomine ſancte et indiuidue trinitatis incipit liber proemiorum de librorum noui ac ueteris teſtamenti plenitudine quam in canone catholica recipit eccleſia iuxta uetuſtam priorum* (traditionem). Verba haec, quae nobis rubricam conſtituunt, in edit. *Breuliana* paucis mutatis ipſius Libri initium ſunt. Eſt enim Opus *Iſidori Hiſpal.* quod ibi legitur p. 405. Lectio noſtra non ubique cum impreſſis conſpirat. Ita enumerationi Librorum ſubjicit

Codex: